



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jacobi Alvarez de Paz Opera

De Vita Spirituali, Eivsque Perfectione - Libri quinque

Álvarez de Paz, Jacobo

Lvgdvni, 1611

Perfectionem fraternæ charitatis præceptum Christi vocari, ob aliam perfectionis proprietatem, quòd membra status religiosi coniungat. Cap. xxxij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77833](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77833)

Hugo ad
regulam
Aug. c. 1.

Cap. 3.

Rom. 8.

Rich. de
gradibus
charit. c.
1.

Matth. 5.

Aug. lib.
50. b. b. b.
40. c. 5.

poress esse, aut contrariorum desideriorum intestinū bellum, aut affectuum mutua discordia. Charitas fratres efficit, non carnales, sed spirituales, quare omnem affectum inordinatum curat, vt rixandi materiā de medio tollat. Fratres carnales communionē sanguinis colligati (vt ait Hugo Victorinus) quod commune est eis diuidunt: spirituales, amoris vinculo deuincti, quod diuisum erat, in communi ponunt. Ibi quisque quod suum est, quarit, isti non quæ sua sunt, quarunt, sed quæ Iesu Christi. Plus ergo valet ista propinquitas quàm illa, quia illa deficit, ista crescit; illa habet diuisionem, ista vnitatem; illa transit cum seculo; ista permanet in futuro. Ad hoc enim simul in vna domo viuimus, vt postmodum in cælesti regno maneamus. Hæc ille paucis immutat. Ista ergo spiritalis fraternitas, quæ non est alia quàm charitas, vt omnem discordiæ materiā abscindat, affectus sanat, & propriæ commoditatis amorem tollit. Si tandem vis, qua bonum exequimur, infirma, & imbecilla est, charitas illam roborat, & in fratrum utilitatem fortem, & inuictam reddit. Quod sanè ipsa experientia quotidie clamat. Quis enim amans statim ad id, quod amat amplectendum non animatur, non vires concepit, non neruos acquirit? Verè fortis vt mors dilectio quæ amatores ad mala pro fratribus toleranda penè insensibiles reddit, & vt bonum, quod cupiunt in illis assequantur, nihil arduum, aut difficile esse cognoscit. Ipsa est, quæ Sanctos in periculis positos dicere cogit cum Paulo: Sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos. Prorsus virtus omnipotens (vt inquit Richardus) quæ ipsas miseras facit potentes dum conuertit in adiutorium, quæ paratæ sūt ad nocendū: quæ suffulti milites Christi impauidi certant, certi de victoria in mediis periculis incedūt tutissimi, nec dæmonē, nec hominē metuentes. Charitas ergo efficax medicina est, quæ omnibus plagis nostris remedium adhibet, & quod proprium perfectionis est, mentem ad perditam sanitatem reducit.

Qua profectò salute spiritali dignatos inquietudine, & turbatione liberat, quæ semper ab inepto, & inordinato amore promanat, à plagis nostris proficitur, & ad quietem & tranquillitatem sanctæ orationis iuuat. Hic enim dulcis somnus salutem ipsam spirituales, susceptos fratrum gratia labores & charitatis perfectionem subsequitur. Interdum sanè nobis contingit, vt cor nostrum ingredi nesciamus, ad adorandum Deum in spiritu, & veritate: euenit, vt ianuam oclusam inueniamus, cælum quasi ferreum experiamur, & ariditate animi, ac vanis cogitationibus turbemur. Quid mirum si hanc spirituales salutem non habemus? Fratrem minus quietum nostris detractionibus reddidimus; famam & bonam corū alius opinionem abstulimus; vanas opinionones sine fundamento de illo conceptas disseminauimus; tepidæ vitæ exemplis læsimus; ira & indignatione nostra turbauimus: quidni ad altare Dei, hoc est ad interiora mentis, accedere prohibeamur? Si offers munus tuum ad altare (dicit Dominus) si inquam intendis munus Deo gratum, donum ei immaculatum offerendum præparas, recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid aduersum te, dimitte ibi munus tuum ante altare, super sede paulisper ab hac orationis oblatione, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offers munus tuum: ita vt in odorem suauitatis accipiatur. Hoc ita docet Augustinus. Quicumque habetis discordiam cum fratribus vestris, & reuocatis vos ad vos, & consideratis vos & iustū iudicium fertis in vos, intus in cordibus vestris, & inuenitis vos non debuistis facere, quod fecistis, non de-

buistis dicere quod dixistis: Petite veniā fratres à fratribus vestris, facite fratribus quod ait Apostolus: Donantes vobis ipsis, sicut & Deus in Christo donauit vobis. Facite, nolite erubescere veniam petere. Cui his verbis concinit Gregorius: debemus itaque ad proximū quāuis longè positum, longèque disiunctū, mēte ire; eique animum subdere, humilitate illum ac beneuolentia placare; vt scilicet conditor noster, dum tale placitum mentis aspexerit, à peccato nos saluet, qui munus pro culpa sumit. Hæc sanè fuit consuetudo religionis antiqua, Domini præcepto confirmata, vt se inuicem licet in minimis rebus offendimus, inuicem veniam peteremus. Iam verò mos iste obsoleuit, & cum vera simplicitate ablegatus est. Qui alium lesimus, non petimus veniam sed quarimus indignationis prætextus, declinamus cor nostrum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis. Quod autem Dominus tam dilucidè in noua lege mandauit sub quodam velamine, vt pleraque omnia, in antiqua lege præceperat, dum ad vestem sacerdotalem coccum, illudque bis tinctum iussit adhiberi. Quid enim inuit coccus, aut purpura bis tincta, sine qua sacerdos ad altare accedere prohibetur, nisi Dei & proximi charitatem, quæ viros sanctos exornat, & idoneos reddit sacrificiis Deo, atque holocaustis offerendis? Celebrat Deus conuiuium in nobis, conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ, pinguium medullarum, vindemiæ defæcatæ. Conuiuium enim est contemplatio diuinorum, qua mens sanctis affectibus satiatur, & vino pretioso inebriatur diuinarum illustrationum. Sed huic conuiuii illis solis patet ingressus, qui stola nuptiali, indumento bis tincto charitatis sunt exornati: non tamen illis, qui sordet inordinato sui ipsorum amore, veste scilicet sordida, atque profana. Hæc est sola prima, qua prodigus ille filius induitur, priusquam in domum religionis recipiatur, & ad Christi conuiuium admittatur. Prima quidem necessitate, sine qua homo non filius Dei, sed filius Diaboli apparet, & prima dignitate, quæ Dei paternæ viscera emollit, vt nos non extraneos, sed filios esse cognoscat. Hac induimur, antequam vitulo saginato vescamur. Nam qui oculos claudit, ne fratrum indigentiam videat, & viscera obdurat, ne alienam penuriam sentiat, illique subueniat; & iniuriam à se fratri, illatam rescire non curat; indignus est oculos apertos, & cor blandum, atque suauiter experi, quo erga vitulum, hoc est, Christum passum amore & sanctis desideriis afficiatur. Merito igitur hæc perfectionis pars Christi præceptum, ac sapientissimi animarum medici mandatum appellata est, quæ sola sufficit ægrotationes veteris Adæ curare, & nos noui Adæ, Iesu Christi filios efficere.

Perfectionem fraternæ charitatis præceptum
Christi vocari ob aliam perfectionis proprietatem, quod membra status
religiosi coniungat.

CAPVT XXXII.



ON solum fraternæ charitas pars perfectionis est, ex eo quod iustos sanat, sed etiam quia quatenus sunt membra vnius corporis nexu suauissimo ligat, imò & ipsa est præcipua causa, vt vni mysticum corpus efficiant. Quod in solo religioso statu, quem ad perfectionem capessendam allicimus,

Ephes. 4.

Gregor. 4
dial. c. 60

2. sal. 40.

Exod. 28.

Isaia 25.

Luc. 15.

nunc

nunc conabimur demonstrare, & ex eo facillimum erit ad totam Ecclesiam, cuius ipse est pars, pennis considerationis ascendere; & eandem proprietatem astraternali charitate profectam, in quibusvis congregationibus, pacem, & concordiam habentibus, inuenire. Status religiosus est spiritualis quidam mundus, non in vltim veteris Adam, sed in noui Adae gloriam fabricatus. Non quidem ille, de quo scriptum est: Et mundus eum non cognouit. Sed ille de quo paulo superias mystice scribitur: In mundo erat & mundus per ipsum factus est. Hic etenim mundus re vera à munditia, & puritate nomen accepit, quia est schola perfectionis omnem sanctitatem edocēs, nullamque culpam, aut imperfectionem admittens. Hic filius ipse Patris effixit, vt in eo tamquā in aula sua regia habitaret, & à vitis iustus debitum cultū, & honorem acciperet. In hoc spirituali mundo, caelos & elementa, & mista; arbores, & animalia, homines & Angelos spirituales inuenimus. Caeli sunt Praelati: Nā sicut caeli continent omnia; ita illi (vt habetur in libro sapientiae) continent multitudines. Caelum mihi sedes est (inquit Dominus per Isaiam) & praepositi sedes sūt Dei, in eis quippe diuinam maiestatem agnoscimus, & quasi in throno sedentem honoramus. Hi sicut caeli doctrina aliis lucent, & exemplo vitae influum vitalem subministrant, & in vno, eodemque loco consistentes, scilicet in cella, non otio torpent, sed continenter se mouent, tum curis regiminis, tum orationibus, & sanctis desideriis, quibus totam huius fabricae machinam ordinatē gubernant. Ignes, sunt feruidi; qui, cum ea virtute, & conatu Deo seruiant, vt par est, meritō vocantur praeter ceteris ministri Dei, qui, vt est in Psalmo: facit ministros suos ignem vtrēm. Hi autem Spiritus sancti calore concepti, alios vita sua calefaciunt, & ad feruorem, ac diligentiam cōuertunt. Aër, sunt mites: Nam sicut venti suauitate quadam non tam ingenua, quam accepta diuinitus, ad omnia ingenia se accommodant, & alij eorum lenitate respirant. Aqua, sunt peccatorum memoria cōpuncti: hi enim agrum cordis fontibus lachrymarum irrigant, & dicentes. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum. Culpas in seculo commissas lauat. Terra, humiles, & despecti; etenim dum ab hominibus proteruntur, & conculcantur, stante Christi decreto: Quod qui se humiliauerit exaltabitur, gloriam & exaltationē expectat. Misti sunt, qui pluribus spendunt virtutibus, nec facile est iudicare, quam magis ament, & quam perfectius possideant. Vt enim petra illa deserti, bis à Moysē virga percussa, largissimas effudit aquas, si verō ferro excuteretur, daret ignem, & in puluerem comminuta transiret in terram, vapores autem ab ea excitati transirent in aërem; ita hi ignis videntur, quia deuotione feruent; & aër, quia suauitatem refrigerat; & aqua, quia in compunctionis lachrymas resoluuntur; & terra, quia praeter humilitate omnibus se submitunt. Arbores sunt perfecti, arbores bonae, quas ex fructibus bonis cognoscimus: Nam ad culmen sanctitatis euecti, non iam folijs, & floribus desideriorum, sed operibus bonis fructificant. Animalia autem (quis diceret, nisi Dominus ipse dixisset) Sunt obedientes, qui aliorum onera sustinentes, & pondus dei, & aëris portantes, confidenter, canunt: Vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum. Et adhuc minimè hac laude contenti subiungunt: Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me. Isti, nec caelos, id est, praelatorum gratiam ambiunt, nec terrā, id est, aliorum subditorum laudes exquirunt, & ita praedictis addit: Quid enim mihi est in caelo, & à te quid volui super

Ioann. 1.

Ibidem.

Sapient. 6.

Isaia. 66.

Psal. 103.

ierem. 9.

Matt. 18.

Psal. 72.

Psal. 71.

A terram: Deus cordis mei, & pars mea; Deus in aeternum. Homines sunt, qui dono possent discretioris, Angeli, qui puritate & castitatis decore eminent, & non tam humana prudentia; quam simplici quodam Dei nutu reguntur. O mundus mundos & purus, non quidem ille, qui in maligno positus est; Sed ille, quē Christus inhabitat, non vt iudicet mandum, sed vt saluetur mundus per ipsum. Hic ergo spiritualis mundus, quomodo in suo decore persistit? Eodem profus modo; quo mundus sensibilis conseruatur, vt omnia, quae oculis videmus, auribus audimus, & manibus contrectamus, nos ad charitatem, ad amorem, ad pacem inuident. Et iste mundus quomodo conseruatur? Pace suarum partium, concordia, charitate. Istud autē non nostris, sed sancti Gregorij Nazianzeni verbis audire libet. In caelum sursum (inquit) & deorsum in terram aspiciamus, legēque creaturarū rerum animaduertimus: quem admodum videlicet caelum & terra, & mare, ac denique vniuersus hic mundus; magnum, inquam, hoc Dei elementum, & illustre, quō Deus declaratur, tacitāque voce praedicatur, quamdiu secum pacatus, & tranquillus est, seque naturae suae finibus continet, nec quicquam aduersus alterum insurgit, beneuolentiaeque vincula, quibus ab artifice Verbo rerum vniuersitas constricta, & conglutinata est, perumpit: mundus verē est, vt appellatur, atque incomparabilis pulchritudo; neque vllum opus, quod quidem materia constet, aut praestantius, aut magnificentius excogitari potest. At simul atque pacatus & quietus esse desinit. Quid enim, cum caelum raro ordine aëri lucem; terra pluuias impertit, nonne tibi beneuolentiae legibus teneri videtur? Nonne aër, & terra cum animantibus cunctis partim ducendi spiritus facultatem, partim alimenta praebent, parentum erga filios amorem imitari. Pulcherrimè autem depicta charitate, & pace, quae est inter anni partes, inter noctes, & dies, inter solem, lunam, & stellas, inter terram & mare, & amnes per campos defluentes, inter elementa, bona temperatione permixta, tandem subiungit. At cum materia secum ipsa dissidet, nec cohiberi potest, dissolutionem scilicet per seditionem medians, aut Deus ad perterrendos, puniendosque improbos connexionis aliquid huiusmodi emouerit, nimirum vel exundante mari, vel terra dehiscente, nouis & iniustis imbris cadentibus, vel sole deliquium patiente, vel quadam anni parte modum excedente, vel effundentibus se ignibus: tum verō in hac rerum perturbatione, & confusione orbi vniuerso terror inicitur, quantumque in pace boni inuit, ipsa seditione perspicitur. Atque haec Nazianzenus. Vt itaque corporeus mundus charitate persistat, discordia verō interit atque dissoluitur; ita mundus spiritualis, religio scilicet, eiusdem causis & persistit, & dissipatur. Si enim Praelati tamquam quidam caeli subditos ament, placidis verbis sancte mulceant, largis beneficiis foueant, & honore prosequantur. Si subditi, tamquam inferiora corpora, praefectis reuerentiam, & obedientiam praestent, & mutuum amorem; tum animo teneant, tum signis externis exhibeant: si subditi seipos diligant, sustineant, ac tēerrimo dilectionis complexu defendant, ac tueantur; tunc mundus iste, aut potius aula caelestis, tranquilla, atque pacata supremæ beatitudinis gestat imaginem. Si autem hic ordo confundatur, & subiectio perturbetur; si praelati à subditis superbia & contemptu dissocientur, si subditi à Praelatis, tum sensu, tum voluntate discordent; si subditi inter sese assiduis querimoniis dissideant, & suis tantum commodis inhaerentes, nexum mutuae dilectionis abruptant: Iam religio non caelestis teroso-

1. Ioan. 5.

Ioann. 3.

Nazian. opus. x. de pace.

C

D

E

lyma,

lyma, sed terrestris Babylonis typus est existimanda, in qua nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Non est iam domus sanctitatis, nec templum Dei, Christi societas, sed habitaculum discordia, in quod multi conuenisse videntur, vt suis dissentionibus congregationem in qua habitant, & seiplos funditus perdant. Charitas ergo est ipsa vita nostrae perfectio, quae inuitans & alliciens nos a saeculo nequam liberauit, liberatos in hunc spiritualem & felicem mundum adduxit, & adductos conseruat, & quotidie nouis incrementis auget.

Ioan. 14.

Sapient. 7.

Colos. 3.

Ob hanc causam Dominus, cum alias virtutes & donata tamquam legata quaedam nobis dedisset, charitatem tamquam hereditatem ditissimam perpetuo vinculo illigatam testamento reliquit, dicens: Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.] Hac hereditate diuites sumus, & nobiles, quia venerunt nobis omnia bona pariter cum illa, & inestimabilis honestas per manus illius.] Vt ergo equites, siue patricij viri, qui iure hereditatio patrimonium minimè venditioni obnoxium acceperunt (quod nos hereditarium vinculum, aut primogenium vocamus) summa cura, ac diligentia illud conseruant, & augent omniaque alia bona dilapidant, vt primogenij bona integra, illa quoque retineant, ne suae nobilitatis videantur dispersores: Ita nos vniuersa postponamus ad charitatis vinculum conseruandum, quod non est vinculum primogenij, aut vinculum terrenae substantiae, sed, vt vocatur à Paulo, est vinculum perfectionis.] Pereat propria voluntas, abeat cuiusque commoditas, minuat honor, detrimentum patiantur literae & scientiae, damnum sentiant quauis etiam pietatis gratia suscepta negotia; sed perfectionis vinculum, omnium virtutum nexus, dilectio scilicet mutua, integra, & incorrupta persistat. Alia etenim omnia sicut paruae substantiae primogenium dilectionis resarcire minimè poterunt; diuitiae autem opulentissima charitatis cuncta alia, licet penitus amissa videantur, facillimè instaurabunt.

Hac mundi similitudo valde dilectionis necessitatem illustrat; sed habemus in nobismetipsis aliud exemplar, quod fortius, & efficacius vim fraternae charitatis ad nos spiritu iungendos ostendat. Nam religio vnum mysticum est corpus, ex variis membris, partibusque compositum, cuius bonum in istarum partium vnione, & connexionione consistit. Connexio autem non est alia quam charitas quae diuersorum hominum sensus, ac definitiones necit, voluntates copulat, & omnium labores in vnum eundemque finem sapientissimè dirigit. Quemadmodum enim humani corporis bonum in partium coniunctione, ac membrorum perpetua quadam cohaerentia situm est, quare si minimum os à suo loco dimoueas, incomparabili dolore cruciaberis; quòd si non solum os suum deferat locum, sed sint ipsa membra disuncta iam corpus suam naturam derelinquit, & non est vnum corpus, sed plura corpora; Si verò non tantum disuncta sint membra, sed etiam contraria, & procurantia mutuam exitium, non solum sunt plura corpora, sed plures hostes, & tunc ea membra se inuicem perderent, quae tueri se & custodire debuissent: Ita prorsus religio vna est, quando Praelati cum subditis & subditi cum Praelatis & inter seiplos dulcissima dilectione coniunguntur; quando maiores à minoribus suspiciuntur, & minores à maioribus honorantur; quando aequales mutuo se iungunt, & secundum consilium Pauli, honore praeventunt, nec videri, aut esse alios superiores ambiunt. At si dilectione seposita suspiciones foueant, & inanes opi-

Rom. 12.

niones admittant, iam membra sunt à suo loco dimota; necessariò toti corpori dolorem, & tristitiam afferent. Ideò dulcis Bernardus vitae religiosae professores dentibus comparat, quia sicut dentes nihil morari intra se patiuntur, sic illi, ne modicum quidem offendiculum tolerabile putant, aut intra se, aut in conscientijs singulorum: non est dolor sicut dolor eorum, cui nihil tam horrendum, & horribile est sicut murmur, & dissensio in congregatione. Si verò se auersione mutua, & dissensionibus separant; iam non erunt vna religio, sed tot detestanda conuenticula, quot fuerint in domo factiones. Si verò (quod Deus aueritat) se mordcant, detractionibus, & contumeliis lacerent, & mala voluntate consumant, tantum abest vt sint vnum corpus, quod potius sunt innumerati hostes, qui in vno loco se infectissimo bello conficiunt. Hinc religionum pernicietas, hinc sanctitatis exitium, & calamitas provenire potest, & aliquando fortassis orta est, quo vnusquisque sibi ipsi, non bene, sed malè consulens, & propriam commoditatem inquirens, aliorum verò, aut honorem, aut solatium, aut commodum contemnendum suum bonum quaerit, commune totius religionis bonum pestundat, & proterit: est enim verissima sententia Sernatoris. Omne regnum in seipsum diuisum desolabitur, & domus supra domum cadet.] Et vt aqua in vase contenta, & tota secundum suas partes vnita multum temporis conseruatur; effusa autem in terram, atque in paruas guttulas diuisa, statim arescit, à terra imbibitur, & absorbetur & prorsus interit, aded vt ne vllum quidem illius vestigium appareat: ita religiosa communitas dilectionis vinculo copulata facile suum vigorem, & splendorem conseruat, in dō (vt verius dicam) in dies magis illustratur, & naturalibus donis, supernaturalibusque virtutum ornamentis augetur; at sensuum diuersitate disuncta, & voluntatum discordia, quasi in varias partes separata, paulatim minuetur, & tandem funditus peribit. Est autem hoc simile ad nostrum propositum explicandum, aptissimum: Nam sicut cum aqua effunditur, & tota illa perit, & singula quoque guttula pereunt; sic prorsus iis accidit, qui suis discordijs atque dissidijs vinculum religionis abrumpunt; nam & totam religionem destruunt, & seiplos proprium honorem, & propria commoda quarentes disperdunt. Id quod apertissimè Patriarcha Loth, cum sancti Abraham societatem deseruit, nos docet historia. Ece enim (inquit Chryostomus) vt diuisus est à iusto, & putabat se in maiori esse vbertate, ac copia, & potiora se assequutum & abundare, repente factus est sortus carens domo, carens & foco, vt dicas quantum malum sit diuisio, & quantum bonum concordia, & quòd conuenit non maiora temerè capescere, sed potius humilitas diligenda est.] Ita sanè accidit Loth, & ita omnibus illis eueniet, qui vt apud homines crescant, & splendeant, alios fratres in opinione minuunt, & verbis tamquam nube quadam obnubilant. Quid miseri, vt se honore vestiant, honore fratres spoliant? Quid insani, vt seiplos promoueant, aliorum bonam opinionem conuellunt? Quid amentes, vt soli luceant, alios obscurant? Solum lucere volunt, at non soli lucebunt, sed soli sine luce permanebunt. Vt autè soli, quia si ceciderit non habet subleuant e se.] Seuerè est, sed iustè Domini decretum, cuius iudicia abyssus multa, vt qui se non habitatione, nō veste, sed corde, & amore à fratribus separant, tempore necessitatis soli relinquuntur, & tentationibus absorbeantur; permittit enim Dominus, vt neque exemplis, neque cōsilijs, neque doctrina corū

Bern. in parnis form. ser. 63.

Luce 12.

Chry. hō. 35. in Gen. 41.

Eccles. 4.

proficiant,

proficiant, quos a se per odium & malam voluntatem abiecerant.

Est ergo charitas mutua, quæ vitam religiosam conseruat, eius decorem custodit, splendorem amplificat, & sine qua proculdubio omnino peribit. Sublatis à nauigio clauis, quibus tabulæ & ligna affiguntur, iam non est nauis: sublatis à domo calce, & luto, & aliis ligamentis, quæ lapides & lateres iungunt, iam non est domus: sublato funiculo, qui ligna coniungit, statim sparguntur, & ab vno portari non possunt. Ita, neque nauis religiosæ vitæ in calum enauigans, neque domus hæc spiritualis ab iniuriis nos, & sæculi molestiis defendens, neque virtutum fasciculus persistit submoto vinculo dilectionis. Facti sumus (inquit Basilius) vnusquisque apud seipsum velut arena, non coniuncti inter nos, sed singuli per se diuisi, neque enim ædificationem consistere possibile est ligamentis detractis; neque Ecclesiam in altum crescere vinculis non colligatam pacis, ac charitatis.] Hæc mutua charitas facit, vt celestis vitæ possessores mutuo se æstiment; ex hac autem æstimatione prouenit, vt isti virtutes aliorum in magno pretio habeant; virtutes verò magni habitæ, nullo negotio ad sui imitationem alliciunt. Iste imitatur mansuetudinem illius, quem amat; ille orationem & deuotionem istius: Alter seclatur mortificationem, quæ lucet in fratre; alter silentium; alter obedientiam præputissimam: Fuit religiosi charitate copulati sicut prunæ, quæ in vno prunario positæ, ignem augmentant, & mutuo magis se succendunt: Odiis verò disuncti, sicut prunæ in terram proiectæ, quæ à ventis & frigore paulatim extinguuntur. Nam nescimus imitari, cum verò iudicare, & contemnere, quæ non amamus. Quare detracta à religiosi viris charitate, virtutes aliorum spernuntur, & vitia videntur. Mansuetudo apparet insensibilitas, silentium singularitas, feruor iudicatur imprudentia, deuotio sancta muliercularum, vel puerorum lachrymæ. Et ecce tuorum vitiorum theriacâ, id est, fratrum exempla, in venenum conuertisti; & vnde proficere debueras, inde causas deficiendi conquisisti. Væ caribus religiosi, qui hoc à se medicamentum abiecerunt, & habenas discordiæ, & dissidii laxarunt; quia ad horum ingressum egreditur sanctitas, fugit mentis puritas, & studium virtutum procul abigitur. Hos carus merito Richardus de sancto Victore, non sine lamentis, & mœrore deplorat. Heu in quos fines (inquit) imò facies sæculorum homines deuenerunt: Cum (vt de sæculi hominibus taceamus, quos excæcauit ambitio) ipsa religionis electio, nostro miserabili tempore tanta diuisione spargatur, vt vix vnus alteri conueniat in vnum, nisi fortè aduersus Dominum, & aduersus Christum eius. Vbi que apparent scissuræ ciuitatis Dauid, & in tantum iam hiant, vt vicinam ruinam omnino minentur: seruat sub tunica vna, & veste simili corvarium, & omnino dissimile, ita vt de religione antiqua vix signa seruentur, & venientibus ad sepulchrû Dominum, quod clausum est, & Christum quærentibus, sola linteamina pateant, id est, habitus forma.] Et si suo tempore verè fortè nostro verissimè. Quæ ergo religiosa familia stat, videat ne cadat: Quæ necdum vestem charitatis fraternæ discidit, curet diligentissimè, ne sub prætextu zeli aut alcius boni eam laceret atque discindat. Ea namque sublata, nihil est quo tam sanctus, ac purus status perfectè subsistat. Quid enim charitate à nobis relegata nos veros religiosos faciet? An locus? sed hostes inimicissimi in vnum locum conueniunt, vt inuicem se perdant, & interficiant. An mensa? Sed ad eandem mensam solent interdum sedere inimici, qui

A dum fuerint inebriati, surgunt inde, & ad mutuas cædes aspirant? An vestis? sed prædones indumentis ciuium se operiunt, vt tutius alienas opes ac fortunas diripiant. An opus? Sed inter eos, qui eandem tractant artem inuenitur sæpè summa discordia. Charitas ergo est, quæ omnes eiusdem propositi sectatores vnum corpus efficit, adeo vt, tametsi per totum orbem terrarum sint ipsi dispersi, dissimilibusque muneribus occupati, vnum tamen esse non desinant. Hanc omni conatu seruemus, ne nos ipsos, & statum nobis tamquam seruis fidelibus à Domino commissum, perdamus.

Alia præterea est utilitas charitatis, efficit enim, vt nulla sit in cordibus nostris duplicitas, sed quod animus sentit, facies ostendat, & lingua eloquatur. Tunc confidenter fratrem accersimus, vel ad eius cellulam properamus, eique suos manifestamus errores, ea sinceritate, ea dulcedine, ea suavitate, & prudentia, vt veritas odium non pariat, correctioque proferat, & non offendat. Ille autem amore inflamatus, ita fratris admonitiones audit, & consilia admittit, & pro eis gratias agit, ac si cælitus demissa recepisset. Habet sic homo tot suarum ægritudinum medicos, quot habet socios; tot consiliarios, quot fratres; tot adiutores, quot sodales; tot magistrum, quot in domo sunt religiosi. Inter tanta verò adiumenta virtutum, & subsidia perfectionis, quis non hilariter viuet? Quis non in perfectione proficiet? Pone tamen dilectionem deesse tunc more sæcularium, more aulicorum viuemus, qui cum in platea, aut in aula regia sibi inuicem occurrunt, caput aperiant, signa familiaritatis exhibent, de corporis salute interrogant, ac si multum sibi curæ esset; & tamquam amicissimi deambulant, colloquuntur, iocantur, rident, intus tamen pleni sunt similitatis, & inimicitia, habent viscera odiis putrida, adiuicem se infamant, impellunt, elidunt, & vnusquisque alium velle interficere: Amplexantur se mutuo, sicut Iob amplexatus est Amasam; & occidens eum, effudit sanguinem belli in pace, & posuit cruorem belli in balteo suo, qui erat circa lumbos eius & in calceamento suo, quod erat in pedibus eius.] Sic omnino nobis eueniet, si castissimam dilectionem deseruerimus.

C Religio sancta, quæ domus est veritatis, & pacis, fiet habitaculum discordiæ, & mendacij; aula Christi conuertetur in curiam regis profani; regnabit fauor, maiores erunt ij, quibus prosper arripserit fortuna a flatus; virtus, & veritas odiosa erunt. Omnes cum in vnum conuenimus amice colloquemur, & tamquam socij de rebus tractabimus; intus verò auersiones animorum latebunt absconditæ. Nec prælatus audebit subditum corrigere, & sincerè eius defectus reprehendere, quia ex animo sibi auerso, non correctionem, sed iram; sed querimonias, sed maiora incommoda operitur. Subditi verebuntur adhuc Prælatum modestè admonere, quia ab iis, quos non amat, admonitionem minimè admittit. Ipsi subditi inter seipos similitatè se gerent, veritatem seponent, & ad modum Sirenarum sub amabili facie, tamquam sub dulci cantilena, innocenti perditionem abscondent. Si quid ergo est in nobis, quod fraternam charitatem extenuet, abiegetur: Si quid est, quod eam minuat, abscondatur: modica enim principia, finium infelicium præfagia sunt; & sicut vna scintilla rotam sylvam incendit, ita modica auersio corde concepta, nec tempestiue curata magnum discordiæ fomitem ministrabit, & ingemiscens religiosa familia, se vinculo charitatis repente priuatam inueniet. Optimè ergo Christus Saluator noster, illam perfectionis partem nomine sui præcepti exulit, quæ ia-

2. Reg. 10.

3. Reg. 2.

D E

nuam

Bas. ora. aduersus eos, qui calumniantur nos, quod iues Deos colamus.

Richard. lib. de gradibus charitatis.

nam aperit charitati erga Deum, & Ecclesiam ipsam, ac eius partes ruetur, & tamquam membra eiusdem corporis colligata & unita firmiter, conseruat.

Perfectionem fraternam charitatis preceptum Christi esse vocatam, ob aliam perfectionis proprietatem, quod iustos fortes ad laborandum efficiat.

CAPVT XXXIII.

Iam videamus quo pacto fraterna charitas postremum incommodum membrorum spiritualium pellat, & religiosos sectatores ad laborandum roborat, & aptos ad salutem animarum procurandam efficiat. Quod ex ipsa natura ministeriorum, quibus proximorum salutem vacamus, manifeste perspicitur. Nam animarum cura, si ad aduersarios, qui eam impediunt, conferatur, prelium quaedam imaginem; si vero ad homines, quorum salus spiritualis procuratur, cuiusdam procreationis similitudinem praefert. Primum quidem salutis animarum procuratio bellum est, illudque acerbum & periculosum, quod non aduersus carnem, & sanguinem geritur, sed contra principes, & potestates tenebrarum, contra mundum vniuersum, contra concupiscentiam nostram, domesticum hostem, suscipitur. Quis enim aduersatur nobis, cum homines a peccatis abducimus, nisi Diabolus, qui daemonum cuneos, & cohortes educit, ne amittat eos, qui seipsum sponte in iniquitatis potestatem dederunt? Quis obstitit nobis, nisi mundus vniuersus, timens ne suae factionis mundanos homines eo derelicto ad militandum sub Christi vexillum conuolent? Quis repugnat, & oblectatur nisi caro, affectus suos illecebris delinens, ac deliciis alliciens, ne eam solam, & ingloriam derelinquant? Noua bella elegit Dominus (cecinit Debra propheta) & portas hostium ipse subuertit. Nam veteribus praeliis, quae pro temporali Israelitarum salute gesserat praetermissis, noua bella istis nouis hostibus indicit: cum non pro salute corporum, sed pro animarum liberatione dimicet; & nouum praeliandi modum, non hasta, & ferro, sed suorum militum persecutionibus, laboribus, & diuini coeclatur. Dux fortissimus huius belli Christus est, quem Pater non solum testem dedit populis (vt est apud Isaiam) sed etiam ducem, & praecceptorem gentibus. Et Ieremias ait: Et erit dux eius ex eo, & princeps de medio eius, producat, & applicabo eum, & accedet ad me. Quis enim iste est, qui applicet cor suum, vt appropinquet mihi, ait Dominus. Quibus verbis Ducis Christi amorem eximium erga Patrem significat. Nos autem milites huius Ducis sumus, si eius vexillum sequentes in hanc tam celebrem expeditionem egredimur. Omnes inquam religiosi sunt Christi milites, siue solo exemplo, siue etiam verbo, & doctrina, aduersus Daemones bella conficiant. Hos Christus instruit luce ex alto demissa, armavit virtutibus, roborauit donis, & vestiuit religionis insignibus, vt spiritualium hostium phalanges prosterant, & alios fideles tanquam infirmiores a Daemone incursum defendant. Ideo lectum Salomonis, id est, Ecclesiam sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi. Qui sunt isti fortes sanctam Ecclesiam ambientes, nisi Euan-

Inuic. 5.

Isaia 51.

Iere. 30.

Cant. 3.

A gelij ministri; qui ab ipsis daemonum faucibus animas extrahunt; a laqueis inextricabilibus mundi illas eripiunt; & a carnis insultibus, & impetu feroci defendunt? Quem gladium tenent in manibus, nisi illum de quo Paulus: Galeam salutis assumite, & gladium spiritus, quod est verbum Dei? Illum inquam, de quo alibi dictum est: Vnius est sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertinens vsque ad diuisionem animae; & spiritus, compagum quoque & medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis. Hoc gladio tentationes iugulant, mundi fallacias trucidant, iram, superbiam, luxum, & alia vitiorum monstra proscindunt. Et quare sunt ex fortissimis Israel, nisi quia (vt ait Beda venerabilis) qui vel praedicando praesentem Ecclesiam pacem tueri; vel contemplando eam, quae in caelis est, cupiunt intueri, necesse est vigilare, stare in fide, viriliter agere, confortari, ac diuina se dignos visione reddere curent? His est Dominus fortitudo reuertentibus de bello ad portam, qui post partam victoriam, dum ad secreta cordis reuertuntur, ibi Deum, solum praeteritorum laborum remuneratorem, sed nouae fortitudinis datorem inueniunt, vt denuo inuisibilibus hostibus bellum indicant, & verbis aduersus eos, exemplisque fortiter dimicent.

Ephes. 6.

Hebr. 4.

Beda lib. 3. in Cant. 6. 30.

Isaia 28.

C Si ergo cura salutis proximorum bellum est, duabus rebus inter alias maxime indiget, quae in terrenis etiam bellis sunt admodum necessariae, nempe militum fortitudine, & agminum ordine, ac recta dispositione: haec autem duo sine mutua charitate haberi non possent. Ad hoc bellum spirituale necessaria est militum fortitudo; quoniam si pueri ad praeliandum proficiscantur, id est, homines carnales, & imperfecti, illos daemones aduersarii nostri proacriter iridebunt, illorum conatus, & pugnas contemnent, insultabuntque eis, dicentes: sagittae paruulorum factae sunt plagae eorum. Quicumque autem charitate sunt vacui, & contentionibus, atque rixis deseruiunt, pueri sunt imbecilles, atque adeo minus idonei ad onus huius belli suscipiendum. Videamus an hoc ex Paulo eliciatur. Tanquam paruuli in Christo (inquit) lac vobis potum dedi, non escam, nondum enim poteratis, sed nec nunc quidem potestis, adhuc enim carnales estis. Quare, o Apostole, Corinthij sunt paruuli: quare carnales: quare adhuc vult ad panem edendum inualidi? quantum magis ad pugnas, & bella. Quare: Cum enim (ait) sit inter vos zelus & contentio, nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis? Itaque qui tales sunt, & inuidiosus, atque amulatiunculis colla submitunt necesse est, vt has pueriles contentiones deponant, adolescant charitate, augeantur dilectionis viribus, si cum tam acris inimicis volunt inire certamen, & ab eorum manibus animas peccatorum eripere. In vnum agmen amore cogantur, & quisque arma aliorum, id est, ministeria linquens, proprio telo armatus incedat, & locum sibi in agmine designatum non deserat.

Esai. 63.

1. Cor. 3.

E Deinde necessaria est militum mutua consensio, & haec non in alio, quam in charitate consistit: nam sic vniuersi consentientes, & se inuicem iuuantes, inuicti, & insuperabiles euadent. Vt enim res a Deo conditae singulae per se suprae, bonae quidem sunt, quare, vidit Deus lucem quod esset bona, & firmamentum, quod esset bonum: at omnes simul copulatae sunt, non tantum bona, sed optima; Vnde vidit Deus cuncta quae fecerat, & erant valde bona. Sic in huius militie sectatoribus, fieri quidem potest, vt quisque sit fortis, & robustus, non tamen ita, vt solus possit agminibus aduersariis resistere, vel saltem ea valeat superare, sed aliis comitus, & adiutus militibus, fortissimus efficiatur; &

Gen. 1.

Gen. 28.

robu